

suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si quid secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tenore etc.

§.6. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, dictæ Congregationis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegii quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permanens, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 16. Mar. 1668. An. II.

Datum Romæ apud S. M. M. sub Anno Piscatoris, die 16. Martii 1669. Pontificatus nostri anno II.

CIII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Omnia bona Congregationum suppressarum Canonitorum Sancti Georgii in Alga Venetiarum, ac Fratrum Jesuatorum, & Fratrum Sancti Hieronymi de Fesulis (exceptis Sacris) in Regno Siciliae ultra Pharus existentia applicat in subsidium Civitatis Candie, & Regni Crete, ac expeditionis contra Turcas.

Ven. Fratri Archiepiscopo Panormitano.

CLEMENS PAPA NONUS

Ven. Frater salutem, & Apostolicam benedictionem.

Narrat tenorem alterius Constit.

§.1. CUM Nos gravissimis, & rationabilibus causis Nobis notis adducti, Congregationes Canonitorum Sancti Georgii in Alga Venetiarum, ac Fratrum Jesuatorum Sancti Hieronymi, & Fratrum ejusdem Sancti Hieronymi de Fesulis sub Regula Sancti Augustini una cum omnibus earum respective Dignitatibus, officiis, ac ministeriis, omni que conventualitate, collegialitate, titulo, essentia, ac denominatione perpetuo extinxerimus, & suppresserimus; Ac universa earundem Congregationum sic suppressarum respective bona mobilia, & immobilia, tam sacra, quam profana, Conventus, Collegia, Monasteria, Domos, Vineas, Prædia, Canones, responsiones, fructus, introitus, & jura quæcumque, ubicumque locorum existent, nostræ, & Sedis Apostolicæ dispositioni in usus, & opera pia per eos, quibus id a Nobis, & Sede prædicta commissum foret, convertenda reservaverimus; Præterea Canonice, & Fratribus dictarum Con-

gregationum suppressarum, qui nunc vivunt, & in eisdem Congregationibus respective professionem emisserunt, facultatem transeundi ad aliam quamcumque Religionem ab eadem Sede approbatam, in qua benevolos invenerint receptores, aut remanendi in seculo in habitu Clerici secularis sub jurisdictione, & obedientia Ordinariorum locorum, ubi eos morari contigerit, cum provisione ipsorum singulis pro alimentis, Clericis quidem in summa quadraginta scutorum monete Romanæ; laicis vero, seu conversis in summa viginti scutorum parium annis singulis donec vixerint, seu aliunde sufficienter eis provisum fuerit super certis bonis, aut redditibus Congregationum suppressarum hujusmodi respective, per eosdem Ordinarios assignanda tribuerimus, & impartiri fuerimus; Ac demum ne Ecclesiæ earundem Congregationum suppressarum debito destituatur servitio, sed factæ recte custodiantur, prædictis Ordinariis locorum, in quibus Ecclesiæ ipsæ sunt sitæ commiserimus, & mandaverimus, ut Cappellanos deputent cum competente mercede, etiam super re certa de bonis prædictis assignanda, per quos missis, & aliis oneribus satisfiat, ac ipsis Ecclesiis debitus cultus, & veneratio conservetur, utque dicti Ordinarii Inventarium tam sacræ, quam profanæ suppellectilis ad Congregationes suppressas hujusmodi respective spectantis, accurate conficiant, ac provideant ne a quocumque occultari, occupari, aut inde amoveri ullatenus possit, nisi, & donec a Nobis, & Sede prædicta aliter provideatur, & alias prout in nostris desuper in simili forma Brevis, die 6. mensis Decembris proxime præteriti expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus uberius continetur; Et sicut pro parte dilectorum filiorum nobilium virorum Ducis, & Reipublicæ Venetorum Nobis nuper expositum fuit, ipsi atrocissimum sibi a Turcarum Tyranno illatum bellum a viginti tribus annis pro suarum Ditionum tuitione sustineant, eorumdemque Turcarum Civitatem Candie tandem vehementi obsidione præmentium impetus pro viribus propulsare fatigant, sed ejusdem Reipublicæ facultates tot sumptibus in causam dicti belli factis adeo attrita de præsentibus reperiantur, ut bello hujusmodi impofterum sustinendo impares sint, manifestumque proinde inster periculum amissionis dictæ Civitatis, totiusque Regni Crete, nisi Reipublica ipsa præsentaneo aliunde auxilio sublevetur.

Bona Congr. applicat in subsidium Civitatis Candie & Regni Crete.

§.2. Hinc est, quod Nos, qui ab ipso Pontificatus nostri primordio omnia divina, humanæque opis præsidia, atque auxilia in subventionem rei Christianæ contra insensissimos illius hostes assiduis Pontificis zeli studiis conciliare, conquirere, atque pro viribus conferre non desistimus, Reipublicæ prædictæ in præsentibus angustiis quantum Nobis ex alto conceditur, sub-

subvenire, dictosque Ducem, & Republicam pro peculiari paternæ nostræ in eos charitatis affectu specialis favore gratiæ prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnia, & singula memoratarum trium Congregationum, ut præmittitur suppressarum bona (exceptis Sacris) in Regno Siciliae ultra Pharus existentia in subsidium, atque subventionem Civitatis Candie, & Regni Crete prædictorum, ac expeditionis contra Turcas supra dictos Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo applicamus. Ac tibi per easdem præsentibus committimus, & mandamus, ut per te ipsum, vel per Commissarios a te specialiter deputandos, bona hujusmodi quam primum, meliori qua fieri poterit conditione, auctoritate nostra Apostolica, vendas, detrahis tamen prius detrahendis tam pro alimentis nunc viventium Canoniorum, & Fratrum, seu Religiosorum Congregationum suppressarum prædictarum juxta supra dictas nostras literas, quam pro servitio, & manutentione Ecclesiarum earundem Congregationum, atque onerum illis respective incumbentium supportatione, ac pretium inde redactum deponi facias penes Ædem Sacram, vel personam fide, & facultatibus idoneam, ita ut inde extrahi, seu amoveri minime possit, nisi cum mandatis Ven. Fratris Laurentii Archiepiscopi Carthaginen. moderni, seu pro tempore existentis nostri, & Apostolicæ Sedis in Dominio Venetorum Nuncii manu subscriptis cum expressione cause, & usus, in quem pecunia erit eroganda, qui quidem usus non sit alius, quam pro subsidio, & subventionem, ac expeditionem antedictis.

Decretum italicum.

§.3. Decernentes pariter easdem præsentibus literas firmas, validas, & efficaces existere, et fore, neque sub quibusvis similibus applicationum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aliisque contrariis dispositionibus unquam comprehendi aut comprehensas censi, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac etiam sub posteriori data per prædictos Ducem, & Republicam quomodocumque eligenda de novo concessas intelligi, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, et obtinere, ac eisdem Duci, & Reipublicæ, ac aliis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales

etiam de Latere Legatos, & Sedis prædictæ Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit.

§.4. Non obstantibus quatenus opus sit de jure quæsito non tollendo, ac de exprimendo vero annuo valore in similibus applicationibus, illisque committendis ad partes, vocatis quorum interest, aliisque nostris, & Cancellariæ Apostolicæ Regulis, necnon fel. record. Pauli II., & aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, & illarum alienationibus committendis, aliisque Apostolicis, ac in universaliibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac omnibus, & singulis illis, quæ in prædictis literis volumus non ob stare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 1. Mar. 1669. An. II.

Datum Romæ apud S. M. M. sub Anno Piscatoris die 23. Martii 1669. Pontificatus nostri Anno II.

CIV.

Ut exercitium Artis Serici in Civitate Pisauræ nobilitati non præjudicet.

Ex Regest. in Secret. Brev.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Constantis fidei, & sinceræ devotionis affectus, quem dilecti filii Communitas, & Homines Civitatis nostræ Pisauræ, erga Nos, & Sedem Apostolicam genere comprobantur, promerentur, ut eorum commodis, dictæque Civitatis decori paternæ benignitate libenter consulamus.

Motiva.

§.1. Cum itaque, sicut dicta Communitas, & Homines Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi, ut ejusdem Civitatis utilitati, & levamento consulatur, Artem Serici in dictam Civitatem introducere intendant; ne autem illius exercitium Nobilitati Civium Nobilium ipsius Civitatis præjudicium adferat, opportune a Nobis provideri, & ut infra indulgeri summo opere desiderant; Nos specialem ipsi Communitati, & Homines gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, omnibus, & singulis memoratæ Civitatis Pisauræ.

Expositio.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad futuram rei memoriam.

Clause pre servative.

Pisaren. Civibus Nobilibus presentibus, & futuris, ut Artem Serici predictam exercere libere, & licite possint, & valeant, itaut nullum propterea eorum Nobilitati prejudicium inferatur, aut illatum quoquo modo dici, vel pretendi possit, auctoritate Apostolica tenore presentium concedimus, & indulgemus.

§.2. Decernentes eosdem Nobiles dicta Civitatis Cives nunc, & pro tempore quocumque existentes, qui Artem prefatam exercebunt, in eodem omnino nobilitatis gradu esse, fore, ac remanere, etiam ad effectum consequendi habitum, & Crucem Fratrum Militum de Justitia Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, vel Sancti Stephani, aliarumque quarumvis Militiarum, eorumque privilegiis, prerogativis, preminentis, honoribus, juribus, & gratiis fruendi, & gaudendi, ac quoad alia omnia, & singula, ad que nobiles dicta Civitatis quomodolibet admitti, & recipi consueverunt, seu possunt, aut debent, non secus acsi Artem supradictam, nunquam exercissent; Presentes vero literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac legibus etiam Imperialibus, & municipalibus, necnon Civitatis, ac Hospitalis, & Militiarum hujusmodi, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, ac Ordinationibus Capitalibus privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium premissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores presentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad premissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 3. Apr. 1669. An. II.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 3. Apr. 1669. Pontificatus nostri An. II.

C.V.

Concessio Indulgentiarum pro Christianidelibus Italiae, & Insularum adjacentium divinum auxilium implorantibus pro felici electione Regis Poloniae, ac liberatione Cretae a tyrannide, & armis communis hostis.

Nos

Proemium. Nuper Nos ad divinam opem in presentibus Ecclesiae necessitatibus implorandam, in omnibus Almae Urbis nostrae Patriarchalibus, & Collegiatis, ac Parochialibus, & aliis quibusvis secularium, & regularium utriusque sexus Ecclesiis campanam majorem hora secunda noctis quotidie, a die prima currentis mensis Aprilis, donec aliter ordinaverimus, per spatium octavae partis horae pulsari iussimus. Ac omnibus utriusque sexus Christianidelibus, qui durante sono campanae hujusmodi flexibus genibus, vel aliter prout valerent, quinque orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam in honorem quinque plagarum Domini Nostri Jesu Christi devote recitarent, ac divinam clementiam implorarent, ut quietam, ac communiter gratam, & acceptam, Ecclesiaeque Dei utilem novi Regis Poloniae electionem benigne largiri, necnon Cretae Regnum a tyrannide, & armis communis hostis liberare dignetur, singulis diebus, quibus id agerent, quinque annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis poenitentis in forma Ecclesiae consueta relaxavimus. Insuper iisdem Christianidelibus, qui praemissa per integrum quindecim dierum curriculum peregerint, ac in uno eorumdem quindecim dierum vere poenitentes, & confessi, ac sacra communione refecti, S. Marci Collegiatam, & S. Stanislai Nationis Polonorum Ecclesiam Urbis praedictae devote visitarent, divinamque clementiam ibidem similiter implorarent, plenariam quolibet curriculo quindecim dierum, quibus id egissent, peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concessimus.

Quid sciendum praescribit.

§.1. Nunc autem, ut quod feliciter petimus, validiori juncturarum precum, intercessione ab Omnipotentis Dei misericordia impetremus, divinum auxilium in universa Italia, & Insulis illi adjacentibus pariformiter invocari cupientes, Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque Ecclesiarum Praelatis, & Ordinariis Civitatum, & Dioecesium, Oppidorum, Terrarum, & locorum univere Italiae, & Insularum illi adjacentium hujusmodi, seu eorum Vicariis in spiritualibus Generalibus harum ferie committimus, & mandamus, ut statim atque ipsarum presentium literarum transumpta, seu exempla, etiam impressa, ad eos pervenerint, campanas pariter diebus singulis per spatium octavae partis horae, donec aliter ordinandum duxerint, in suarum respective Civitatum, & Dioecesium, Oppidorum, Terrarum, & locorum, tam secularium, quam regularium utriusque sexus Ecclesiis pulsari mandent, ac Ecclesias ut infra visitandas designent, seu designari curent.

Indulgentiam plenam concedit.

§.2. Nos enim omnibus, & singulis utriusque sexus Christianidelibus, qui durante sono campanarum hujusmodi quinque orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam pariter recitaverint, divinamque clementiam, ut supra imploraverint, quocumque die id egerint, similem poenitentiarum relaxationem; illis vero qui continuata per quindecim dies ejusmodi devotione; in uno eorumdem quindecim dierum vere poenitentes, & confessi, ac sacra communione refecti Ecclesias per memoratos Ordinarios, & Praelatos, seu eorum Vicarios respective, five illorum iusti designandas devote visitaverint, ibique divinam clementiam similiter imploraverint, plenariam itidem omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem, quolibet curriculo quindecim dierum lucrificandam, concedimus pariter, & largimur. Ceterum regularibus utriusque sexus in perpetua clausura viventibus, necnon aliis Christianidelibus praedictis in carcere, vel corporis infirmitate, aliove quolibet impedimento detentis, qui Ecclesias, ut praemittitur, designatas, vel designandas visitare nequiverint, ut ejusmodi visitationem Confessarius ex approbatis, seu approbandis ab Ordinariis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus differre, eaque injungere possit, quae ipsi poenitentes adimplere poterunt, concedimus similiter, & indulgemus.

Transumptis fides danda.

§.3. Volumus autem, ut earundem presentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra habeatur, quae presentibus ipsis haberetur, si forent exhibitae, vel ostensa.

Dat. die 8. Apr. 1669. An. II.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris die 8. Aprilis 1669. Pontificatus nostri Anno II.

C.VI.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Declaratio nullitatis gestorum ab Oecono- mo Mediolanen. circa apprehensionem possessionis rerum, & bonorum ad Conventus Congregationum suppressarum, Fratrum Jesuatorum, & Fesulan. in Statu Mediolanen. sitos spectantium, & amotionem Administratorum ab Ordinariis deputatorum.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Motiva.

§.1. CUM Nos gravissimis, & rationabilibus causis Nobis notis adductis, Congregationes Canonicorum Sancti Georgii in Alga Venetiarum, ac Fratrum Jesuatorum Sancti Hieronymi, & Fratrum ejusdem Sancti Hieronymi de

Fesulis sub Regula Sancti Augustini unacum omnibus earum respective Dignitatibus, officiis, ac ministeriis, omnique conventualitate, collegialitate, titulo, essentia, ac denominatione perpetuo extinxerimus, & suppresserimus, ac universa earundem Congregationum sic suppressarum respective bona mobilia, & immobilia tam sacra, quam profana, Conventus, Collegia, Monasteria, Domos, Vincas, praedia, Canones, responsores, fructus, introitus, & jura quaecumque, ubicumque locorum existerent, nostra, & Sedis Apostolicae dispositioni, in usum, & opera pia per eos, quibus id a Nobis, & Sede praedicta commissum foret, convertenda, reservaverimus; Ne autem Ecclesiae earundem Congregationum suppressarum, debito destituerentur servitio, Ordinariis locorum, in quibus Ecclesiae ipsae sunt sitae, commiserimus, & mandaverimus, ut Cappellanos deputarent cum competenti mercede, etiam super re certa de bonis praedictis assignanda, per quos Missis, & aliis oneribus satisfieret, ac ipsis Ecclesiis debitus cultus, & veneratio conservaretur, utque dicti Ordinarii inventarium tam sacrae quam profanae suppellectilis ad Congregationes suppressas hujusmodi respective spectantis accurate conficerent, ac providerent, ut a quoquam occultari, occupari, aut inde amoveri nullatenus posset, nisi, & donec a Nobis, seu Sede praedicta aliter provideretur, & alias prout in nostris desuper in simili forma Brevis die 6. Decembris proxime praeteriti expeditis literis, quarum tenorem presentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac verbatim inserto haberi volumus uberius continetur.

Iritat quid Oecono- mus generalis fecerat in Statu Mediolanen.

§.2. Verum subinde (sicut ad aures nostras pervenit) dilectus filius Joannes Paulus Zaccharias Praepositus secularis, & Collegiate Ecclesiae Sanctae Mariae de Scala nuncupat. Mediolanen., ac noster, & ductu Sedis Oeconomus Generalis in Ducatu Mediolanen., ejusque Statu, & Dominio universo, auctoritate Apostolica deputatus, possessionem Domorum regularium, & Conventuum Congregationum Fratrum Jesuatorum, & Sancti Hieronymi de Fesulis ut praefertur, suppressarum in Ducatu, Statu, & Dominio Mediolanen. praefatis consistentium, rerumque, & bonorum ad illos, & illas respective spectantium apprehenderit, seu apprehendi curaverit, ac Administratores in illis ab Ordinariis locorum auctoritate nostra deputatos amoverit, tametsi nullum super ea re a Nobis mandatum accepisset; Hinc est, quod Nos omnium, & singulorum a dicto Joanne Paulo, seu ejus nomine a quibusvis aliis in praemissis quomodolibet actorum, & gestorum seriem, causas, & occasiones, aliave quaecumque etiam specificam, & individuum expressionem requirentia, presentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac exactissime, & accuratissime specificatis habentes; Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque

Apo.

Apostolicae potestatis plenitudine, apprehensionem possessionis Domorum Regularium, & Conventuum in Ducatu, Statu, & Dominio Mediolanen. prefatis consentium, rerumque, & bonorum ad illas, & illos spectantium quorumcumque, necnon amotionem Administratorum a locorum Ordinariis, ut praefertur, deputatorum, & alia quaecumque a memorato Joanne Paulo oeconomio generali, seu ejus jussu, mandato, vel nomine a quibusvis aliis etiam speciali, & individua mentione, & expressione dignis in praemissis, & circa ea quomodocumque, & qualitercumque facta, acta, gesta, disposita, & mandata, ac forsitan in futurum sine speciali, & expresso nostro, & dictae Sedis mandato facienda, gerenda, agenda, disponenda, & mandanda cum omnibus, & singulis inde sequutis, & quandocumque sequuturis poenitis, & omnino nulla, invalida, irrita, frivola, inania, ac a non habente potestatem attentata, & de facto praesumpta, nulliusque roboris, momenti, & efficaciae esse, & ab initio fuisse, & perpetuo fore tenore praesentium decernimus, & declaramus; Ac ad majorem, & abundantiore cautelam, & quatenus opus sit illa omnia, & singula quatenus de facto processerunt, seu procedent in futurum, revocamus, cassamus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuumus in omnibus, & per omnia perinde ac si nunquam facta fuissent, seu evenissent, nec unquam forent, vel evenirent.

Clause pre servative.

§.3. Decernentes pariter easdem praesentes literas, & in eis contenta quaecumque etiam ex eo, quod dictus Joannes Paulus Oeconomus Generalis, & alii quilibet cuiuscumque status, gradus, ordinis, praeminentiae, & dignitatis existant in praemissis forsitan, interesse habentes, seu habere quomodolibet pretendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causa propter quas praesentes emanarint, adductae, verificate, aut justificatae fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis formali, & substantiali, ac incogitato, & incogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari seu ad terminos juris reduci, aut adversus illas apositionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concessio, vel emanato quempiam in iudicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & spectabit, in futurum inviolabiliter, & inconcusse observari; Sicque, & non aliter in praemissis per quocumque Judices ordinarios, & de-

legatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos aliove quoslibet quacumque praeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & desiniri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.4. Non obstantibus quatenus opus sit nostra, & Cancellariae Apostolicae Regulae de non tollendo jure quaesito, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, usibus, styliis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, etiam dicto Joanni Paulo, seu pro tempore existenti Oeconomo Generali, aliisque personis quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum infererentur, & exprimerentur, praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.4. Volumus autem, ut earundem praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibite, vel ostensa. Datum Romae apud S. Petrum sub Anulo Piscat., die 27. Apr. 1669. Pont. nostri Anno II.

Contraria tollit.

Transumptum fides.

Dat. die 27. Apr. 1669. An. II.

CVII.

Jubilaeum pro Dominio Reipublicae Ragusinae ad supplicationem ejusdem Reipublicae.

Ex Regest. in Secret. Brevo.

CLE.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad futuram rei memoriam.

Processum.

§.1. EX injuncti Nobis divinitus pastoralis officii debito spiritualibus omnium Christianidelium, quorum Nobis incumbit sollicitudo necessitatibus consulere paterno affectu jugiter satagentes, ac Christianidelibus in Dominio Reipublicae Ragusinae degentibus, qui terramotus, & incendii flagellis graviter afflicti, ac sub potenti Domini manu humilitati corde contrito ad Sacram misericordiarum Domini Aram unanimiter accedere, opportunaque coelestis opis auxilia implorare cupiunt, ut id ferventius, atque fructuosius faciant, spiritualium gratiarum dispensationi nostrae, a Deo creditarum munera largissima manu erogare volentes, supplicationibus dilectorum filiorum Magistratum dictae Reipublicae nomine Nobis humiliter porrectis, benigne inclinati, ac de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illa ligandi, atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus licet indignis, contulit, universis, & singulis utriusque sexus Christianidelibus in Dominio praed. Reipublicae Ragusinae degentibus, qui Ecclesias ab Ordinariis locorum, vel eorum Vicariis, seu Officialibus, aut de eorum mandato, & ipsis deficientibus, per eos, qui ibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam haec nostra pervenerint, designandas, vel Ecclesiarum hujusmodi aliquam spatio duarum hebdomadarum a publicatione designationis per Ordinarios, vel eorum Vicarios, seu Officiales, vel alios, ut praefertur, faciendae decurram saltem semel visitaverint, ibique pro Christianorum Principum concordia, herefium extirpatione, ac S. M. E. exaltatione pias ad Deum preces effuderint, & quarta, & sexta feriis, ac Sabbato alterius ex hebdomadis hujusmodi jejnaverint, & peccata sua confessi in die Dominica immediate sequenti, vel alia die intra eandem hebdomadam Sanctissima Communione refecti fuerint, & pauperibus aliquam elemosynam, prout unicuique suggeret devotio erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem sicut in Anno Jubilei visitantibus certas Ecclesias intra, & extra Almam Urbem concedi consuevit, tenore praesentium concedimus, & elargimur; navigantes vero, & iter agentes, ut cum primum ad sua sese domicilia receperint, suprascriptis peractis, & visitata Ecclesia Cathedrali, vel majore, aut Parochiali loci eorum domicilii, eandem Indulgentiam consequi possint, & valeant; Regularibus autem personis utriusque sexus etiam in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque tam laicis, quam ecclesiasticis secularibus, vel regularibus etiam in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu Bull. Rom. Tom. VI. Par. VI.

Certa opera faciendibus indulgent. concedit ut in rubrica.

Navigantibus iter agentibus ceterisq. impeditis provi-det.

alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua praestare nequiverint, ut illa Confessarius ex jam approbata a locorum Ordinariis ante praesentium publicationem, seu approbandis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere quae ipsi poenitentes efficere poterunt, pariter concedimus, & indulgemus. Insuper omnibus, & singulis Christianidelibus utriusque sexus tam laicis, quam ecclesiasticis secularibus, & cuiusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti regularibus in memorato Dominio degentibus licentiam concedimus, & facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium tam secularem, quam cuiusvis Ordinis, & Instituti regularem ex approbatis, ut praemittitur, a locorum Ordinariis, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis, & aliis ecclesiasticis sententiis, & censuris a jure, vel ab homine quavis causa latis, seu inflatis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis quantumvis gravibus, & enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive Nobis, & Sedi Apostolicae etiam in literis die Coenae Domini legi solitis contentis, & alias per quascumque nostras, aut Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum Constitutiones, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis quomodocumque reservatis in foro conscientiae, & hac vice tantum absolvere, & liberare valeant; Et in super vota quaecumque (Religionis, & Castitatis exceptis) in alia pia, & salutaria opera commutare, injuncta tamen eis, & eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus poenitentia salutari, aliisque ejusdem Confessarii arbitrio injungendis. Quapropter tenore praesentium, in virtute sanctae obedientiae districte precipimus, atque mandamus Ven. Fratribus Archiepiscopo Ragusino, ac Episcopis, & aliis Ecclesiarum Praelatis, & quibuscumque Ordinariis locorum in praefatis Dominio existentium, eorumque Vicariis, & Officialibus, vel iis deficientibus, illis, qui curam animarum exercent, ut cum praesentium literarum transumpta, aut exempla etiam impressa acceperint, illa statim absque ulla mora, retardatione, vel impedimento per suas Ecclesias, & Dioeceses, Civitates, Oppida, Terras, & Loca publicent, & publicari faciant, Ecclesiamque, seu Ecclesias visitandas designent.

§.2. Non intendimus autem per praesentes super aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quoquo modo contracta, dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, su habitandi, & in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiae, neque etiam easdem praesentes iis, qui a Nobis, & Apostolica Sede, vel ab aliquo Praelato, seu Judice Ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias, & censuras incidisse de-

Publicatione transumptorum mandata.

Facultatem dispensandi super irregularitate denegat.

V u cla-

clarati, vel publice denunciati fuerint, nisi intra tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

congregationum Derogatio

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, praesertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes, vel dissimiles indulgentiarum, & facultatum huiusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, ut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, nec non Regula nostra de non concedendis Indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum, & Congregationum, sive Institutorum Regularium etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus privilegiis, quoque, Indultis, & Literis Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, & Institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis, Quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servata habentes, hac vice specialiter, nominatim, & expresse ad effectum praemissorum derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptum fides.

§. 4. Ut autem praesentes nostrae, quae ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut earumdem praesentium transumptis, vel exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, ubi que locorum, & gentium eadem prorsus fides habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensa.

Dat. die 6. Maii 1669. An. II.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 6. Maii 1669, Pontificatus nostri Anno II.

CVIII.

Ex Regest. in Secr. Brev.

Facultas M. Magistro Hospitalis S. Jo: Hierosolymitani dismembrandi sex millia librarum annuarum ex redditibus Prioratus S. Egidii linguae Provinciae; ex quibus millia scuta applicabuntur expensis victus Fratrum dictae Linguae, reliqua vero mille librae communi arario in compensationem damni, quod illi per dismembrationem huiusmodi inferri possent.

Dilecto filio Magno Magistro Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani.

Dilecte filii salutem, & apostolicam benedictionem.

Postulatio.

§. 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum Fratrum Linguae Provinciae istius Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani Nobis expositum fuit, quod considerato modico, atque miserabili visu, qui Fratribus Militibus dictae Linguae, & numerosis in illius Albergia praebetur, ad sublevandam ejusmodi miseriam, sive tenuitatem, ab eadem Lingua die 28. Novembris 1667, ac a te, & dilectis filiis Consilio dicti Hospitalis die 9. Jan. 1668. ordinatum fuit, ut ex redditibus, & proventibus Prioratus Sancti Egidii Linguae, & Hospitalis praefatorum post mortem dilecti filii moderni Prioris dicti Prioratus separarentur, & dismembrarentur annua sex millium librarum moneta illarum partium, ex quibus quinque millia librarum applicarentur impensis victus Fratrum dictae Linguae, ultra id, quod pro tempore existens Magnus Commendatarius Bajulivus Conventualis ejusdem Linguae cam in rem de proprio impendere debet, reliqua vero mille librae huiusmodi communi arario Hospitalis praefati in compensationem damni, quod illi per dismembrationem huiusmodi inferri possent, & alias prout in decretis desuper diebus praefatis, seu aliis verioribus temporibus respectively emanatis uberius dicitur contineri.

Confirmat Pont. ut in rubrica.

§. 2. Et subinde cum divisio, seu separatio, & dismembratio huiusmodi per Commissarios in partibus deputatos facta fuissent, ea lege, ut demum post mortem dicti moderni Prioris effectum habere, ac executioni demandari debeant; tu, & consilium praefatum illas juxta eorumdem Commissariorum relationem, die 10. Decembris proxime praeteriti approbastis, prout in Decreto approbationis huiusmodi contineri etiam dicitur.

§. 3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicti Exponentes praemissa, quo firmiter subsistant, apostolica confirmationis nostrae patrocinio communiti summopere desiderent; Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, tibi divisionem, seu separationem, & dismembrationem annuarum sex millium librarum huiusmodi ex redditibus, & proventibus memorati Prioratus factas, & demum post mortem praefati moderni Prioris effectum sortituras, ac a te, & consilio supradicto approbatas, ut praefertur, necnon

necnon deliberationes, seu decreta Linguae, & Consilii huiusmodi desuper emanata cum omnibus, & singulis in eis contentis, alias tamen licitis, & honestis auctoritate nostra apostolica confirmandi, & approbandi, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robor adiciendi, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, dictae auctoritate supplendi, necnon quatenus opus sit eandem divisionem, seu separationem, & dismembrationem de novo auctoritate praefata faciendi plenam, & amplam facultatem eadem auctoritate tenore praesentium tribuimus, & impartimus.

Derogatio contrarium

§. 4. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon praefatorum Hospitalis, & Linguae, ac Prioratus etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, ac Ordinationibus Capitularibus, privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 10. Maii 1669. Anno II.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 10. Maii 1669, Pont. nostri Anno II.

CIX.

Ex Regest. in Secr. Brev.

Donatio Conventus, & Ecclesiae Sanctorum Joannis, & Pauli suppressae Congregationis Fratrum Jesuatorum Puellis pauperibus S. Philippi Nerei de Urbe.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Commissi Nobis divinitus pastoralis muneris ratio postulat, ut Puellarum pauperum pudori, & commodis quantum Nobis ex alto conceditur, secundum prudentiae, atque charitatis leges consulere studeamus.

Motiva;

§. 1. Cum itaque, sicut accepimus Domus, seu Conservatorii Puellarum pauperum S. Philippi Nerei de Urbe prope Cloacam S. Luciae nuncupatam existens non solum insalubritate aeris, ac nimia angustia laboret, sed etiam vicinorum locorum domos contiguas, quibus undique cingitur, inhabitantium inspectui pateant ipsa cubacula earumdem Puellarum, non sine aliquo ingressu periculo, nec his incommodis, propter situs qualitatem, satis provideri valeat: Nos praemissa, quae etiam Nobis dum in minoribus constituti, & Cardinalatus honore fungentes Puellarum praefatae Rom. Tom. VI. Par. VI.

fatarum protectionem gerebamus oculari inspectione innotuerunt, mature considerantes, ac eisdem incommodis pastorali providentia occurrere, dictasque Puellas paternae nostrae benignitatis largitate prosequi cupientes, & earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatae existunt ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione, meraque liberalitate nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, eisdem Puellis pauperibus S. Philippi Nerei, pro earum usu, & habitatione Conventum suppressae Congregationis Fratrum S. Hieronymi Jesuatorum nuncupatorum, illique contiguam Ecclesiam Sanctorum Joannis, & Pauli de eadem Urbe, una cum omnibus suppellectilibus sacris in ea existentibus, & cum tribus hortis eidem Conventui adjacentibus, ac insuper cum superficie, sive portione Vineae triginta duarum cannarum mensura Romanae in longitudinem a fine muri mansionis, quae il legnatio vulgariter vocatur, per radices dormitorii, seu cellarum, ex quibus in eandem Vineam prospectus datur, protensam, & viginti quinque cannarum similibus in latitudinem quae superficies, sive portio Vineae statim, atque pro parte ipsarum Puellarum absoluti fuerint muri, quibus illa claudi debet, eidem Puellis consignanda erit, donatione pura, perpetua, & irrevocabili, quae fieri dicitur inter vivos, tenore praesentium donamus, & elargimur, ac perpetuo concedimus, assignamus, & applicamus: ea tamen lege, ut Puella praefata dictam Ecclesiam factam testam, & in bono statu, ac Sacris Suppellectilibus sufficienter instructam perpetuo conservare, & manuteneat teneantur, liberumque sit illi, seu illis cui, seu quibus ad implementum onerum Missarum eidem Ecclesiae de praemissis incumbentium pro tempore injunctum fuerit, onera Missarum huiusmodi ibidem adimplere, ac ad eum effectum Suppellectilibus Sacris in ipsa Ecclesia nunc, & pro tempore existentibus uti. Praeterea dominium, liberamque, & omnimodam dispositionem Domus, seu Conservatorii dictarum Puellarum prope Cloacam S. Luciae nuncupatam, ut praefertur, existentis, omniumque, & singulorum illius membrorum, & pertinentiarum, statim atque eandem Puella inde ad Conventum eis donatum praefatum migraverint, in Nos, & Sedem Apostolicam assumimus, ac nostrae, & ejusdem Sedis Ordinationi reservamus. Volentes, ut dilectus filius Oeconomus bonorum dicti Conventus administrationi praepositus ad ministracionem Domus, seu Conservatorii, ejusque membrorum, & pertinentiarum, huiusmodi suscipiat, illaque meliori qua fieri poterit conditione vendere procuret, ac

Donat. Pont. Conventum aliaque bona suppressae Congreg. cum lege ut in rubrica.

ac ex prætio inde proventuro annuus perpetuus, & redimibiles census, qui desuper legitime impositi reperiuntur omnino extinguat, & redimat; Interea vero donec facta fuerit hujusmodi venditio, Domum, seu Conservatorium, ejusque pertinentias, & membra præfata meliori itidem qua fieri poterit conditione locet, & ex pensionibus inde proventuris fructus eorundem censuum solvat: Quidquid autem ex prætio post extinctos census, & ex pensionibus prædictis post solutos fructus hujusmodi respective superfluerit, id totum nostræ, & dictæ Sedis liberæ dispositioni, & ordinationi pariter reservamus, ac pœnes Montem Pietatis de Urbe præfata ad nostrum, & ejusdem Sedis creditum deponi volumus, & mandamus; necnon eidem Economo quamcumque necessariam, & opportunam ad præmissa facultatem harum serie tribuimus, & impertimur.

Clausula præservativa.

§.2. Cæterum non intendimus per præfatas literas titulo Cardinalitio in præfata Ecclesia Sanctorum Joannis, & Pauli existenti ullo modo præjudicare, sed illius in suo vigore, ut prius remanere; Ipsas vero præfatas literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quilibet, cuiusvis status, gradus, ordinis, dignitatis, & præminentie existant, etiam Cardinalatus honore fungentes in præmissis, seu eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet prætententes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque cause propter quas eadem præfatas emanarint, adductæ, verificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis justa, pia, legitima, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, & enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, & substantiali, nec incogitato, & inexcogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, limitari, in controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperiitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concessio, vel emanato quæpiam in iudicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullatenus posse; neque ipsas præfatas literas sub quibusvis similibus, vel dissimilibus donationum, & gratiarum revocationibus, limitationibus, restrictionibus, aliisque contrariis dispositionibus; etiam per Nos, & Sedem præfata, seu Romanos Pontifices Successores nostros quomodocumque, & quomodocumque faciendis unquam comprehendendi, aut comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum re-

stitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac etiam de novo sub quibuscumque posteriori data per Puellas præfatas, seu alios, ad quos spectat, & pro tempore spectabit eligenda concessas intelligi, firmasque, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quas, & quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Camerarium, seu Procamerarium, & alios Cardinales, etiam de latere Legatos, necnon Camera nostræ Apostolicæ Præfidentes, Clericos, Thesaurarium, & Commissarium Generales, aliove quoslibet eorundem Camere, & Sedis Officiales, & Ministros, & quoscumque alios quacumque præminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum

§.3. Non obstantibus quibusvis etiam ultimis voluntatibus, & dispositionibus, quas, quoad præmissa sufficienter, & expresse commutamus, ac de jure quæsitum non tollendo, & de exprimendo in unionibus, & applicationibus perpetuis vero valore, aliisque nostris, & Cancellariæ Apostolicæ Regulis, necnon Lateranen. Concilii novissime celebrati, uniones perpetuas nisi in casibus a jure permisis fieri prohiben., ac fel. rec. Symachi quæ incipit: *No liceat*, & Pauli II., Pauli IV. aliorumque Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesiæ, ac Sedis, & Camere præfatarum non alienandis, necnon rec. mem. Pii Papæ IV. Prædecessoris pariter nostri de gratis quacumque interesse dictæ Camere concernentibus in eadem Camera intra certum tunc expressum tempus presentandis, & registrandis, ita ut ipsas præfatas literas ibidem presentari, & registrarî nunquam necesse sit, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Camere, & Domus, seu Conservatorii, Conventus, & Ecclesiæ hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis, etiam eidem Camere ejusque Officialibus, & Ministris, ac aliis personis, & locis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concess-

concessis, confirmatis, & pluries innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentibus, illis alias in suo robore permanentibus ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 1. Junii 1669. Anno II.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 1. Junii 1669. Pont. nostri Anno II.

C X.

Ex Regest. in Secret. Bre v.

Declaratio nullitatis Capitulationum, Sede Archiepiscopali Salisburgen. vacante a Capitularibus dictæ Ecclesiæ in præjudicium jurisdictionis Archiepiscopalis, & auctoritatis Sedis Apostolicæ factarum.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Motiva.

§.1. CUM (sicut Nobis innouit) alias Ecclesia Salisburgen. per obitum bon. mem. Guidobaldi dum vixit Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis de Thun. nuncupati ejusdem Ecclesiæ Salisburgen. Archiepiscopi solatio destituta Pastoris, Capitulares ejusdem Ecclesiæ Successorem, vigore Indulti eis super hoc ab hac Sancta Sede concessi electuri, in quosdam ut vocant, capitulationes convenerint per futurum Electum quis quis ille foret, observandas, volentes eundem Electum ad præstandum juramentum de ejusmodi Capitulationibus observandis obligatum esse, prout Ven. fratrem Maximilianum Gandolphum Archiepiscopum Salisburgen. juramentum hujusmodi de facto præstitisse accepimus; In dictis vero Capitulationibus jurisdictioni, & potestas, ac jura Archiepiscopalia contra Sacrorum Canonum, & Constitutionum Apostolicarum dispositionem, nimium circumscribantur, Apostolicæque etiam Sedis jura, & auctoritatem lædi satagatur. Hinc est, quod Nos considerantes sine dictæ Sedis Apostolicæ auctoritate nihil omnino in similibus negociis pacisci fas esse, ne autem ex Capitulationibus hujusmodi, licet ob licentiæ Apostolicæ defectum ipso jure nullis, & invalidis, aliquod cuiquam jus acquisitum, aut Ecclesiæ Salisburgen. prædictæ, illiusque Archiepiscopo, vel Capitulo quacumque gravamen illatum, jurisdictionique, & libertati Ecclesiasticæ quoquo modo præjudicatum, aut ejusdem Apostolicæ Sedis juri quicquam detractum fuisse, esse, vel

fore umquam prætendi dici, vel censeri, neque quovis temporis cursu, aut ex quacumque alia etiam quantumlibet juridica causa fuisse per Nos, & Sedem Apostolicam tacite, aut expresse approbatas allegari, & beneplacitum apostolicum desuper accessisse præsumi umquam possit, pro pastoralis nostræ sollicitudine providere volentes, ac earundem Capitulationum tenores etiam veriores, præsentibus pro expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, capitulationes prædictas nullas, irritas, ac prorsus invalidas, nulliusque roboris, & momenti fuisse, esse, & semper fore, adeo ut nullum omnino sortiri possint, aut debeant effectum, perinde acsi conceptæ, factæ, inita, aut juratæ nunquam fuissent, tenore præsentium declaramus, illasque pro non factis haberi volumus, approbationemque nostram, & beneplacitum Apostolicum, quoad ipsas Capitulationes denegamus. Ac memorato Maximiliano Gandolpho Archiepiscopo juramentum de servandis Capitulationibus hujusmodi ab ipso, ut præfertur præstitum, quatenus opus sit, relaxamus.

Capitulationes factas a Capitularibus Ecclesiæ Salisburgen. irritas.

§.2. Decernentes easdem præfatas literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac dicto Maximiliano Gandolpho Archiepiscopo, & aliis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, Apostolicæque Sedis prædictæ Nuncios, & quosvis alios quacumque auctoritate fungentes nunc, & pro tempore existentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans, & Clausula sublata.

§.3. Non obstantibus præmissis, necnon Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, & quatenus opus foret etiam Regula nostra de non tollendo jure quæsitum ac dictæ Ecclesiæ Salisburgen. etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis, Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis

Derogatio contrariorum